

hendo, ut amoris vinculum quod inter te dictamque domum vigit hactenus solidaretur et ampliaretur uberius, per nostras tibi directas litteras, acquiescens benigne quod inter eundem primogenitum et dilectam in Christo filiam Blancham puellam nobilem natam clare memorie Philippi regis Navarre contrahatur hujusmodi matrimonium, favorabiliter consensisti, exinde tue celsitudini gratiarum referimus actiones. Speramus equidem in Domino quod ex hiis ac confederationibus mutuis utrique regali domui varia comoda redundabunt, pro certo sciturus, fili dilectissime, quod super hiis que tuis honoribus et comodis convenient, nos, quantum cum Deo poterimus, propitios reperies et benignos.

Datum ut supra.

Reg. Vat., 139, n° CCLXXV.

15

Clément VI félicite l'infant D. Pedro d'avoir écouté ses conseils.

Avignon, 12 août 1345.

Dilecto filio nobili viro Petro Infanti, primogenito carissimi in Christo filii nostri Alfonsi regis Castelle illustris.

Quia precibus et exhortationibus nostris, ut ad solidandum et augendum unitatis et amoris vinculum inter Castelle ac Francie domos regias inclitas, unde varia comoda provenisse hactenus dinoscuntur hinc inde, de prosapia domus ejusdem Frantie uxorem tibi copulari consentires, favorabiliter annuens et benigne quod dilecta in Christo filia puella nobilis Blancha nata clare memorie Philippi regis Navarre tibi jungatur matrimonialiter consensisti, nobilitati tue gratiarum referimus actiones, sciturus, fili, quod nos semper tuis oportunitatibus propicios, quantum cum Deo poterimus, reperies benignos. Datum Avinione, ii idus augusti, anno quarto.

Reg., 139, n° CCLXXVII.